

1.313439

R. 25.871

Foll. 21-83



ORATIO  
IN FAUSTUM LITTERARUM OMEN  
CORAM ILL.<sup>MO</sup> REG. UNIV. COMPOSTELLANÆ  
RECTORE, AC SENATU

PRO INEUNDO PRIMO LITTERARIO CURRICULO

JUXTA NOVISSIMAM STUDIORUM RATIONEM

REGIA AUCTORITATE PRÆSTITUTAM

SACRA . EJUSDEM ÆDE

XIV KALENDAS DECEMBRIS AN. DÑI. MDCCCXXIV


PROLATA

à Presbytero D. Vincentio Miranda Villamayor  
Sacré Facultatis Doctore,  
neconon præludiis de Oratoria Sacrâ, et forensi  
comparanda in eodem Lyceo præposito.



COMPOSTELLÆ:  
Typis D. Joan. Francisci Montero, Reg. Universit.  
Typographi. Ann. MDCCCXXV.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE SANTIAGO



00240936

*Doctrrix enim est disciplinæ Dei, et electrix  
operum illius.*

Sap. cap. 8. v. 4.

**P**atefactæ, sunt tandem, ILLUSTRISSIME REC-TOR, Clarissimeque ornatissimorum Virorum Senatus hujus Regiae Universitatis fores post fata ingenti omnium expectatione obseratae. Abstersæ etiam lacrymæ, quas obductâ toti Iberiæ caligine circumfusi, fucatisque humanae sapientiæ verbis undique circumventi, novis subinde prementibus malis, toto uno triennio profundere coacti sumus. Jam nunc mundissimâ aqua scaturit publicus fons scho-læ, ut inde turbidissimis exsicoatis circum-quaque rivis, cuncti litterarum studiosi saluberrimæ doctrinæ profluenta in posterum securi ébiant. ; Quantâ nunc demum animi voluptate, quantâque gratulatione frequens Senatus vester ab omnibus videtur, novæ lucernam disciplinæ manu præferens, super hujus gymnasii candelábrum hodierna die positurus! Novæ lucernam disciplinæ, novissimam scilicet studiorum rationem à sapientissimis viris, instantे Rege, perfectam, et ipsi Ferdinando summopere probatam, qui stabi-liendis nostræ sanctissimæ religionis munimen-

tis, procurandæque communi omnium saluti, et utilitati totus indesinenter invigilat! Hanc disciplinæ rationem, quam dogmatum religione, doctrinæ soliditate, integritate morum, optima juvenum institutione, et salubris politicæ temperamento commendatissimam videtis! Sub novis auspiciis probatissimæ, et incorruptæ doctrinæ jacta sunt fundamenta non modo ad eradicanda sparsa ab inimico in agro Dómini zizania, eliminandasque fallaces atque perversas boni, et mali notiones, tot præteriorum, atque impendentium malorum scaturiginem, verum etiam excolendos, exornandosque altissimâ eâ eruditione juvenes, qua retroactis sæculis nostra Hispania tantorum ingeniorum feracissima exteris gentibus se mirabilem, atque invidendam præstítit.

Gratulamini itaque, Clarissimi viri, vobis commissam esse tanti operis executionem, fœcundissimique hujus seminis culturam, quod opimis laudis, honestatis, quietis, ubertatis, doctrinæ fructibus stato tempore exuberabit. Superet studium vestrum, et inde-

fessa cura in hac disciplina omnibus numeris stabienda Supremæ Potestatis expectationem, quæ vobis tantam rem impensius commendavit, nullique parcatis labori, ut teneros adolescentum animos per hanc semitam deducentes, in timore Dómini, quod est sapientiæ initium, firmitis, et lacte saluberrimæ doctrinæ enutriatis, uberrimam virtutum, et meritorum segetem magno cum fœnore postea vobis relatuos. Tum vero prædem me accipite Patrem lumen paternæ suæ dexteræ benedictionem vestris laboribus largiturum, visurosque vos simul abstersis, quas hactenus profudistis lacrymis, resurgentem iterum totius Hispaniæ salutem, nec cum vitæ tempore esse dimittendam commemorationem nominis vestri, per quos ad posteros tantum boni transmissum erit, sed cum omni posteritate adæquandam. Ac totam quidem pro parte virili vos operam navaturos, et ex mirifico vestro pro aris, Rege, et focus studio, et ex illa tantopere inculcata sententia, quam à pluribus vestrum sæpius audivi: *unam rerum nostrarum*

4

regenerationem, adversis levamen, secundis fulcimentum esse accurate efformatam juventutem, mihi absque ulla dubitatione polliceor, atque à vobis spero; te autem, Vir meritissime, qui clarissimo huic cætui dignissime præsides, quem prius Academia, voti compos facta, ardenter expetivit, atque iterum unanimiter postulavit, studio, voce, exemplisque præitorum certissime scio.

Et vos Compostellani adolescentes hujus Lycœi delitiæ, et oblectamentum, quibus insituendis, et informandis tot summi intendunt viri, hanc semitam recto tramite ingredimini; eorumque hortatu, et præceptis mentes, animosque vestros penitus conformat. Quasi modo geniti infantes, lac istud concupiscite, profanas devitantes vocum novitates, exitialesque sæculi blandientis sermones, qui animos sub doctrinæ specie emolliunt, moresque venenatâ dulcedine corrumpunt. Sic enim fiet, ut optimis artibus expoliti, atque omni scientiarum genere exculti, firmi in catholica, quam professi estis, fide, atque Cæsari, quæ sunt Cæsarisi,

reddentes uberrima impensa operæ præmia aliquando percipiatis, dignissimi, quibus amplissimi reipublicæ honores ingenti omnium plausu, et exultatione conferantur. Quæ si omnino præstiteritis, illud etiam adjungo, (planè quidem illustrius, et divinus) majorem vosmetipsos honoribus, quam vobis metipsis honores, splendorem, et ornatum exhibituros. Nec labore disciplinæ, et aviditate litterarum deterreamini, quarum etsi suavissimi fructus, sunt tamen amaræ radices, memoræ ea, quæ maximi facienda sunt, non nisi magno labore comparari. Ita D. O. M. ferat: huc vota nostra conspirant.

Quoniam vero infirmæ sunt, atque invalidæ in corrigendis perditis moribus, firmansque sacris hominum vires, nisi superiori fulciantur auxilio, et nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant, qui aedificant eam, sursum erigentes corda, ad te, Pater luminum, convertimur, in cuius conspectu in præsentiarum sumus, et cuius aras supplices tenemus. Tu enim, Domine, reprobatis iniquorum consiliis, liberum solum

nunc denuo à grassante impietate, et immi-  
nenti excidio haud celerius, quam expeditius  
mirabiliter vindicasti, et inductis cujusdam  
perfunctoriae disciplinæ rationibus, Supremæ  
Auctoritatis cardines evertentis, indulgentis-  
que licentiæ morum, tantæ expectationis ru-  
dimenta suffecisti, ut congruentissime nunc  
exclamare possimus: *á Dómino factum est  
istud, et est mirabile in oculis nostris.* Hoc  
egregio impensæ nostris rebus in tanto dis-  
crimine tuæ paternæ curæ documento præ-  
terita cumulasti, quorum partim nobis retu-  
lere majores B. JACOBI protectione, vexillis-  
que muniti, tum sacro ejusdem corporis pig-  
nore decorati, partim vero nostris etiam  
diebus hisce oculis vidimus, et nonnulla vix  
visuros speravimus. Vidimus enim devictam;  
et abjectam immanissimi potentiam tyranni,  
qui cunctis gentibus formidandus, totiusque  
Iberiæ dolo potitus, rapacitatem, ignem, fer-  
rum, nominis denique Hispani deletionem  
eructabat. Charissimum deinde nobis FERDI-  
NANDUM, quem fraude circumvenerat, ab hu-  
jus latronis faucibus eripiusti, et iterum His-

paniæ donasti, ut mala nostra in communis  
rerum eversione levares, et impietatis co-  
natus, quâ infidus ille cuncta infecerat, lon-  
gè, latèque serpentis, eluderes. Quod si res-  
tituto tunc Rege lucem caliganti reddidisti  
Hispaniæ, nostro mœrore, ac luctibus ins-  
perato gaudio sublevatis, quantam iterum  
tempestate in eodem rursus durissimâ servi-  
tute jam non ab externa vi, sed intestinâ in  
finibus regni sui oppresso, subita serenitate  
nunc temporis discussisti, quo altius imple-  
tas egisse radices, et ad maturitatis tempus  
erupisse gloriabatur.

Tot igitur tutelæ tuæ freti significatio-  
nibus, te, Pater, à quo est omne datum op-  
timum, et donum perfectum, suppliciter  
poscimus, ut incœptum opus perficias, et fir-  
ma soliditate corrobores. Tuum emitte Spi-  
ritum, cuius rore infirma confirmes, dis-  
rupta consolides, et depravata convertas.  
Cunctis auxilieris, quicunque tantæ rei, et  
operi insudant, ut muneris sui partes inte-  
grè obeant. Magistris lumen, et studium fla-  
grantissimum infundas ut his vestigiis insis-

tentes commissam sibi juventutem optimis  
moribus, atque doctrinâ informent, alumnis  
verò docilitatem submissumque animum, ut  
se dirigi, et institui patientur, Sic, Dómine,  
Sanctissimam mājorum nostrorum religio-  
nem nobis toto Ibero solo incorruptam præ-  
stabis, ne quam tot abhinc ætatibus sibi pietà-  
te gens nostra laudem conciliavit, et gloriam,  
pervicacissimæ cujusdam, falsoque nuncupa-  
tæ philosophiæ præstigiis tandem præstricta,  
futuris temporibus expolietur, avitaque Solii,  
et legitimæ Auctoritatis optime de ortodoxa  
fide meritæ jura fovebis, ut cuncta longâ  
refovente pace, florentem religione, doctri-  
nâ, et opibus statum nostrum perpetua exci-  
piat posteritas. Amen.